decreta in hac eadem seſſ. de reform. Regularium ſancita obſervenitur *d. ſeſſ. 25. cap. 22.*

XLVII. Privilegium, quin capitula exempta viſitentur ab Epiſcopo juxta modum in hoc eodem cap. præſcriptum *ſeſſ. 25. cap. 6. de reform.*

XLVIII. Privilegium, quo minus ſerventur præſcripta in hoc eod. cap. circa gubernium, adminiſtrationes, & miniſtros hoſpitalium *d. ſeſſ. cap. 8.*

XLIX. Privilegium contra obſervantiam decretorum circa probationem juris patronatus, jus patronorum, acceſſiones beneficiorum liberorum ad Eccleſias juris patronatus; revocationem ipſius juris patronatus non legitime quæſiti; examen, & repulſionem præſentatorum non idoneorum ab Epiſcopo facienda *dict. ſeſſ. cap. 9.*

L. Privilegium non ſolvendi quartam funeralem cathedrali, aut parochiali Eccleſiæ ſolvi conſuetam per annos quadraginta ante Trident. ſi hæc poſtea conceſſa fuerit monaſteriis, aliiſque quibuſcumque locis piis *d. ſeſſ. cap. 13. Vide Elencho VI. n. CXIII.*

ELENCHUS VI.

Apoſtolicarum Conſtitutionum, quæ acceſſerunt Decretis Concilii Tridentini, partim moderando, partim ampliando, partim declarando, ſervato ordine ſeſſionum, & capitulorum ejuſdem Concilii.

Seſſ. IV. Decretum de Editione, & uſu ſacrorum librorum.

I. DEcretum hoc innovans pœnam inflictam a Concil. Lateranen. *ſeſs.* 10. ſub Leone X. excommunicationis latæ ſententiæ, non tamen reſervatæ, amiſſionis librorum publice comburendorum, & centum ducatorum fabricæ Sancti Petri applicandorum in imprimentes libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris, aut ſine examine, & approbatione Ordinariorum, præter ampliationem factam a Pio IV. Conſtit. *Dominici* 24. *Martii* 1564. in regula 10. Indicis librorum prohibitor. in calce Conc. Trident. ampliatum eſt a Bulla Cœnæ Domini c. 1. reſervatam, ſi liber eſt auctoris hæretici, & continet hæreſim, vel de religione tractat.

Circa libros prohibitos eſt etiam decretum Congreg. ſacræ Inquiſitionis juſſu Urbani VIII. editum *Sanctiſſimus* 18. *Septemb.* 1625. prohibentis, ne degens in ſtatu Sedi Apoſtol. mediate, vel immediate ſubjecto libros de quavis materia tractantes a ſe conſcriptos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos ſine approbatione in ſcriptis urbis Vicarii, & Magiſtri Sac. Palatii ſi Romæ, ſi extra, ſine Ordinarii, & Inquiſitoris loci illius; decernentis inſuper hos aliter impreſſos ipſo facto prohibitos eſſe abſque alia declaratione: nullam tamen infligit cenſuram, ſi alias libri impreſſi eſſent cum licentia ſuperioris loci, ubi imprimuntur.

Item decretum ejuſdem juſſu editum in cad. Cong. 22. *Maji* 1625. & 1. *Aug.* 1641. contra imprimentes ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſt. retinentes, & legentes libros, & tractatus incidenter tractantes de divinis auxiliis: ac alterum ſub 5. *Maji* 1639. circa libros, & laminas granatenſes, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes, aut eos in concionibus, vel reſponſis allegantes.

Reliqua circa libros prohibitos vide in Auctore *lit. V. tit. 7. num. 8. & ſeqq.*

Seſſ. V. cap. I. De Reform.

II. Decretum ſtatuens §. *Eccleſiæ vero* conſtituendum eſſe ab Epiſcopo cum conſilio Capituli ſaltem magiſtrum grammatices in iis Eccleſiis, quarum redditus ſunt tenues, & ubi tam exigua eſt cleri, & populi multitudo, ut theologiæ lectio commode haberi nequeat, qui Clericos, aliosque ſcholares pauperes grammaticam gratis doceat, ampliatum eſt a Pio IV. Conſtitut. *In ſacroſancta* 13. *Novemb.* 1564. decernente, ut is teneatur emittere fidei profeſſionem cum juramento fidelitatis, & obedientiæ ſummo Pontifici præſtandæ juxta formam ibi præſcriptam, in manibus Ordinarii, ſive ejus Vicarii, ſub pœna nullitatis promotionis, ſeu electionis tam in judicio, quam extra reſpectu magiſtri aliter promoti: reſpectu vero promoventium, ſi Antiſtites ſint, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi inferiores excommunicationis latæ ſententiæ, privationum dignitatum, beneficiorum, feudorum Eccleſiaſticorum, & inhabilitatis ad illa, & alia hujuſmodi.

Ead. Seſs. & Cap.

III. Decretum ſtatuens §. *In Eccleſiis*, ut in omnibus cathedralibus peculiaris præbenda conſtituatur pro theologiæ lectore cum onere exponendi Sacram Scripturam, ampliatum eſt a Benedicto XIII. Conſtit. *Paſtoralis* 19. *Maji* 1725. decernente, ut in cathedralibus quibuſcumque Italiæ, & Inſularum adjacentium nedum talis præbenda, ubi non eſt, erigatur, ſed etiam ut eadem per concurſum peragendum *coram Epiſcopo, & quatuor examinatoribus, etiamſi ſynodales non ſint*, digniori, & aptiori conferatur, eo pari modo, quo conferuntur parochiales Eccleſiæ; eique tantum, qui vel conſequutus ſit magiſterium, & lauream in ſacra theologia, vel intra annum conſequi poſſit.

Quoad redditus his præbendis aſſignandos *vide Additionem meam lib. III. tit. V. de Præbend. poſt n. 7.*

Eadem Seſs., & Cap.

IV. Decretum præcipiens §. *In monaſteriis*, ut in monaſteriis quorumcumque monachorum habeatur lectio ſacræ Scripturæ, ubi commode fieri queat, ampliatum eſt a Paulo V. Conſtitut. *Apoſtolicæ* 31. *Julii* 1610. addente etiam lectionem linguæ hebraicæ, græcæ, & arabicæ.

Eadem Seſs., & Cap.

V. Decretum perſeverans §. *Docentes* reſidentiæ lege obſtrictis publice docentibus ſacram Scripturam, eique ſtudentibus privilegia omnia de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum in abſentia a jure communi conceſſa (*cap. Super ſpecula 5. de magiſtris*) ampliatum eſt a Pio IV. Conſtit. *Sanctiſſimus* 24. *Novemb.* 1564. ſtatuente ſimilia indulta a Sede Apoſtolica conceſſa per quinquennium, vel aliud tempus beneficiatis ſtudentibus in publica univerſitate ſacræ Scripturæ, theologiæ, aut juri canonico eis minime ſuffragari: *Niſi ſingulorum Ordinariorum locorum, in quibus ſingula beneficia hujuſmodi conſiſtunt, conſenſus gratis præſtandus ad id accedat. Vide Additionem meam Lib. III. tit. IV. poſt num. 16. & Elencho I. num. VI.*

Seſs. V. Cap. 2. de reform.

VI. Decretum ſtatuens §. *Archipresbyteri* dominicis ſaltem, & aliis feſtis diebus in ſingulis parochiis pueros inſtruendos fidei rudimentis, edocendoſque obedientiam erga Deum, & parentes, ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Et ſi minime* 7. *Feb.* 1742. mandante §. 14. quod Epiſcopus in Eccleſiis ruralibus, etiam non parochialibus, longe a parochiali ſepoſitis decernat, gravibus etiam ſtatutis pœnis, chriſtianæ doctrinæ ſummam per Sacerdotes ibi operantes populum edoceri.

Prohibente inſuper, ne in dictis Eccleſiis Parochiali proximis miſſæ Sacrificium celebretur, antequam Parochus celebraverit, ut ſic confluens populus illum ſermocinantem facilius audire poſſit.

Eodem modo ex decreto Cong. ſuper diſciplina regulari Procuratoribus generalibus Ordinum regularium intra Italiam, & Inſulas adjacentes tranſmiſſo 13. *Novemb.* 1709. edocendi ſunt ſingulis diebus dominicis per aliquem regularem virum idoneum a Provincialibus in unoquoque conventu deputandum laici profeſſi, præſertim quæſtores.

S. Pius V. Conſt. *Ex debito 6. Octob.* 1571. tribuit Epiſcopis facultatem erigendi tot ſocietates, ſeu confraternitates ad doctrinæ chriſtianæ opus exercendum, quot eis opportunæ videbuntur; indulgentiam tam pro conſtratribus, quam pro inſtruendis ab ipſis elargiendo.

Eadem Seſſ. V. cap. 2.

VII. Decretum ſtatuens §. *Regulares*, ut hi prædicare volentes etiam in propriis Eccleſiis, præter examen, & approbationem ſuorum Superiorum, teneantur petere benedictionem ab Ordinariis, ampliatum eſt a Gregor. XV. Conſt. *Inſcrutabili* 5. *Febr.* 1622. decernente contrafacientes puniendos eſſe ab Epiſcopis cenſuris, aliiſque pœnis tamquam a delegatis Sedis Apoſtolicæ etiam extra viſitationem; ſicuti & ſi prædicaverint in alienis Eccleſiis ſine eorumdem licentia.

Idem decretum declaratum eſt a Clemente X. Conſt. *Superna* 21. *Jun.* 1670. ſtatuente, ut iidem Regulares prædicare poſſint in propriis Eccleſiis, quamvis petitam benedictionem non obtinuerint: non poſſunt autem, ſi Ordinarii nedum illam non conceſſerint, ſed etiam contradixerint; qui tamen ſine juſta, & rationabili cauſa contradicere non debent. Et hæc omnia intelligenda ſunt, etiam ſi regulates habere voluerint ſermonem in quibuſvis oratoriis ſui Ordinis coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates monialium ſibi ſubjectarum, licet januis clauſis, & nullus ſæcularis interſit. Poteſt autem Epiſcopus licentiam conceſſurus eoſdem examinare, ſi prædicare voluerint in alienis Eccleſiis, licet nominati fuerint ab univerſitatibus, & magiſtratibus, ac ab immemorabili tempore Epiſcopi anteceſſores concedere conſueverint licentiam prædicandi abſque examine. Item ſuſpendere poteſt licentiam ſemel conceſſam ob rationabiles cauſas, etiam occultas prædicationem concernentes. *Vide infra n. LXII.*

Eadem Seſſ. & cap.

VIII. Decretum, quo cavetur §. *Quæſtores*, ne quæſtores eleemoſynarum vel per ſe, vel per alios prædicare præſumant ſub pœnis arbitrio Epiſcoporum, & Ordinariorum, ampliatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Et ſi dominici* 8. *Februar.* 1567. *& Quam plenum* 2. *Januar.* 1570. prohibente, ne quocumque prætextu publicentur Indulgentiæ ob quæſtum, ſeu prædicetur, ut ad eas conſequendas ſolvenda ſit aliqua eleemoſyna alicui perſonæ, vel loco ſub pœna in Epiſcopos, etiam Cardinales ſecus facientes, ſeu attentantes ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptionis fructuum ſuarum Eccleſiarum, donec prævia ſatisfactione, a Sede Apoſtolica abſolvantur; & in his inferiores excommunicationis Papæ reſervatæ. *Vide n. XXXI.*

Seſſ. VI. cap. 1. junctо cap. 1. Seſſ. XXII. de Reform.

IX. Decretum inſtigens §. *Si quis* certas pœnas in Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Epiſcopos non reſidentes in ſuis Eccleſiis ultra ſex menſium continuorum tempus, ampliatum eſt a Pio IV. Conſtitut. *In ſuprema* 25. *Novemb.* 1574. addente pœnam amiſſionis facultatum teſtandi, & diſponendi, ſiquæ tranſgreſſoribus competant, ſubjiciendo eorum bona ſpolio favore Cameræ Apoſtolicæ; necnon inhabilitatis ad majores dignitates, & Eccleſias: quæ pœnæ comprehendunt etiam Parochos non reſidentes. *Vide n. XLIV.*

Ampliatum inſuper eſt a Benedicto XIV. Conſt. *Ad univerſæ* 3. *Septemb.* 1746. addente privationem ipſo facto Indultorum competentium Epiſcopis aſſiſtentibus ſolio Pontificio. In hac Conſtitutione referuntur diſpoſita a dicto Pio IV. & Urbano VIII. circa reſidentiam Epiſcoporum Conſtit. *S. Synodus* 12. *Decemb.* 1624. & cauſæ, propter quas iiſdem licet a propria Eccleſia, & diœceſi abeſſe. Cum autem earum cognitio pertineat ad Congregationem ſpecialiter deputatam in Urbe, cujus præfectus eſt Cardinalis Vicarius pro tempore, ideo conſulto earumdem Conſtitutionum ſumma hic omittitur.

Eadem Seſſ. & cap.

X. Decretum ſtatuens, Regularem cujuſcumque Ordinis delinquentem extra clauſtra corrigi, & puniri poſſe ab Ordinario, non obſtante quocumque privilegio, declaratum eſt a Benedicto XIV. in epiſtola ad Epiſcopum Sancti Pauli in America Luſitana *Pontificia* 27. *Maji* 1746. decernente idem præſtari poſſe contra Regulares ſe afferentes translatos auctoritate Apoſtolica, ut extra clauſtra vivant, vel in habitu Sacerdotis ſæcularis, vel ut ad aliam Religionem tranſire poſſint, in qua claustralis, & regularis obſervantia non vigeat, niſi oſtenderint hujuſmodi indultum; cum facultate etiam cognoſcendi de ſubreptione, & obreptione indulti, eaque cognita, procedendi in eos tamquam in degentes extra clauſtra ſine facultate.

Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.

XI. Decretum ſtatuens viſitandas eſſe ſingulis annis a locorum Ordinariis Eccleſias Parochiales perpetuo unitas quibuſcumque locis piis, & monaſteriis etiam exemptis, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtitut. *Expoſcit* 22. *Septembr.* 1751. ſtatuente hanc juriſdictionem extendi etiam ad parochiales militiæ S. Joannis Hieroſolymitani.

Eadem Seſſ. & cap.

XII. Decreto decernenti aſſignandam eſſe tertiam partem fructuum, aut majorem, vel minorem arbitrio Ordinariorum Vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium monaſteriis, beneficiis, Eccleſiis, vel locis piis perpetuo unitarum, derogatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Ad exequendum* 1. *Novemb.* 1567. auferente hoc arbitrium, ac ſtatuente, ut dicta portio *non major centum, nec minor quinquaginta ſcutorum annuorum ſumma, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi ſolitis, eis omnino aſſigneatur, niſi ſolitum fuiſſet plus aſſignari. Vide infra num. CXIII.*

Hæc tamen Pii Conſtitutio ex declaratione Innocentii XIII. Conſtit. *Apoſtolici* 23. *Maji* 1723. §. 12. pertinet dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Eccleſiarum parochialium, quæ aliis Eccleſiis, monaſteriis, collegiis, & beneficiis, & locis piis unitæ ſunt. Scuta autem, de quibus ſupra, intelligenda ſunt de ſcutis argenteis juliorum decem monetæ Romanæ pro quolibet ſcuto.

Quoad Vicarios autem Eccleſiarum mendicantium redacta eſt ad terminos juris, & Conc. Trid. a Gregor. XIII. Conſtit. *In tanta* 1. *Mart.* 1573.

Quoad undecim vero perpetuas vicarias Urbis idem S. Pius Conſtit. *Et ſi omnibus* 5. *Novemb.* 1571. unicuique ſuam reſpectivam taxam præſcripſit, quibus præficiendi ſunt tantum ex approbatis ab Eminentiſſimo Vicario, prævio examine per concurſum coram examinatoribus ejuſdem Urbis.

Seſſ. XIII. cap. 7. De Euchariſtia.

XIII. Decretum præcipiens Sacerdotem peccati læthalis conſcium, cui ex officio incumbit celebrare, debere confiteri quam primum, ſi deficiente copia confeſſarii, ac urgente neceſſitate celebraverit abſque prævia confeſſione, declaratum eſt ab Alexand. VII. propoſit. 38. & 39. inter alias ab eodem proſcriptas 18. *Mart.* 1666. ſtatuente hoc Tridentini mandatum eſſe præceptum, non conſilium; & ly *quam primum* non eſſe intelligendum, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

Sentiunt autem DD. communiter ly *quam primum* habere moralem latitudinem, ac proinde extendi poſſe ad unum, vel alterum diem.

Sess. XIII. cap. 1. De refor. junctis cap. 10. Sess. XXII. in decreto de observand. & vitand. in celebr. miss. & cap. 1. & 18. sess. XXIII. cap. 10. 18. & 20. sess. XXIV. de reform. cap. 13. Sess. XXV. de regul. & cap. 14. sess. XXV. de reform.

XIV. Decreta relata in his citatis capitulis prohibentia appellationem in casibus ibi enunciatis confirmata sunt, & fusius explicata a Benedicto XIV. ut in Additionibus meis *lib. II. tit. 28. post n. 9. Vide infra n. LXXXII.*

Sess. XIV. cap. 4. de Pœnit.

XV. Decretum definiens §. *Illam vero*, attritionem conceptum vel ex considerationæ turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu esse verum donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declaratum est ab Innocentio XI. ex contrario sensu propositionis 57. inter alias ab eodem proscriptas 2. *Mart.* 1679. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam* & ab Alexandro VIII. ex contrario pariter sensu propositionum 14. & 15. a se proscriptarum 7. *Dec.* 1690.—*Timor gehennæ non est supernaturalis-Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Eadem Sess. XIV. cap. 5. De Pœnit.

XVI. Decretum definiens §. *Ex his* peccatorum confessionem faciendam esse non in genere, sed in specie, & figillatim per ipsosmet pœnitentes, declaratum fuit a Clemente VIII. Constit. *Sanctissimus* 20. *Jun.* 1602. prohibente fieri per litteras, seu internuncium, absolutionemque in absentem dari.

Eadem Sess. cap. 7.

XVII. Decretum statuens nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem, declaratum est ab Alexandro VII. ut ex contrario sensu propositionis 16. ab eodem proscriptæ 24. *Septembr.* 1665. *Qui beneficium parochiale habent, possunt sibi eligere in confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. Ampliatum vero est ab Innoc. XI. in decreto de communione quotidiana ejus jussu edito a Congr. Conc. 12. *Febr.* 1679. prohibente confessionem etiam venialium, aut mortalium alias absolutorum fieri simplici Sacerdoti: ideoque corrigendi sunt DD. qui contrarium hucusque censuerunt.

Et hic notandum, quod licet Parochi etiam regulares approbati tempore provisionis parochialium ordinariam habeant jurisdictionem in suos parochianos quoad audiendas eorum confessiones, possunt tamen ab Episcopo iterum examinari tam in visitatione, quam extra, sive ab eo instituti fuerint, sive ab ipsius antecessoribus, superveniente rationabili causa, puta vehementi suspicione de illorum imperitia, etiam judiciali probatione non præmissa, ut ex pluribus decretis Congr. Conc. relatis a Benedicto XIV. *lib. XIII. de Synodo diœc. cap. 9. n. 21.* unde pro hoc novo examine non sufficit sola conscientiæ sedandæ ratio. Experimento autem facto de eorumdem insicitia, poterunt Episcopi etiam tamquam delegati Sedis Apostolicæ juxta decretum Trid. *sess. 21. cap. 6. de refor.* his coadjutores, aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum iis pro sufficienti victu assignare.

Eadem Sess. & cap.

XVIII. Decretum interdicens §. *Neque dubitandum* quibuscumque confessariis facultatem absolvendi a casibus reservatis extra articulum mortis absque speciali ad id deputatione, ampliatum est a Clemente VIII. ut in Auctore, & Additionibus meis *lib. V. tit. 39. n. 24.*

His accessit decretum Alex. VII. 24. *Septembr.* 1665. quo proscripta est hæc propositio-*Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*: ac tandem Constitutio Clem. X. *Superna* 22. *Jun.* 1670. qua sancivit. *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere*-Ac insuper declaravit-*Posse regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

Ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis a Benedicto XIV. *lib. V. de Synod. c. 5. n. 8.* idem vetitum est tam confessario electo a confratribus confraternitatum, & signanter SS. Rosarii arbitrantibus, se virtute privilegiorum in quibusdam anni solemnitatibus confessarium sibi eligere posse, qui eos a casibus Episcopo reservatis absolveret; quam Canonico pœnitentiario vi sui muneris sine speciali Episcopi concessione.

Ead. Sess. XIV. de Pœnit. cap. 7.

XIX. Decretum tribuens §§. *Neque & Extra* quibuscumque Superioribus facultatem reservandi peccata sine ulla limitatione, moderatum est a Clemente VIII. sequentibus decretis ipsius jussu editis a Congr. Episc. & Regul. 9. *Jan.* 1601. & 26. *Novemb.* 1602.

Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit pluribus quam opus sit, reservationibus subditis, aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis diœcesis statu, & qualitate necessarios reservandos esse judicaverint, reservent-Ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea ire modum excedant, eadem sacra Congr. illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in destructionem cedat; ne alioquin, Sacramenti pœnitentiæ ministrorum coarctata potestate, sanctæ matris Ecclesiæ piæ mentis contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die cœne Domini legi consueta, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos.

Encyclicam hanc quoque litteram dicta *die 26. Novemb.* eadem S. Cong. ad eosdem Ordinarios misit.

Præcipue vero hac monenda censet Sacra Cong. ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel exequutione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui & si mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, & frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa mantur circumspectione, propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant, & sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cujusque provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.

Idem decretum moderatum est quoad Superiores regulares (Generales nempe, Provinciales, & Abbates quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, non Superiores locales) altero ejusdem Clement. decreto *Sanctissimus 26. Maji* 1593. restringentis hujusmodi facultatem ad undecim tantum casus, (quos lege apud Moralistas) qui tamen non sunt eo ipso reservati, sed reservari possunt: jubentis præterea, quod si aliquod aliud grave peccatum reservandum sit, *id aliter non fiat, quam generalis capituli in toto Oraine, aut provincialis in Provincia matura discussione, & consensu.*

Cujus decreti vigore nequeunt dicti Superiores alicui gravi peccato in eo non expresso censuram annectere, quam sibi reservent, ex declaratione Congr. Episc. & Regul. 7. *Jul.* 1617.

Sess. XIV. cap. 1. de Extrem. Unct.

XX. Decretum referens verba Jacobi Apostoli-*Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: quamvis ex dictis verbis videatur plures adhibendos esse sacerdotes ad Sacramentum extremæ unctionis ministrandum, declaratum tamen est a Benedicto XIV. Const. *Et si Pastoralis 6. Maji* 1742. §. 5. ibi-*Nec refert, utrum eadem extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo*, dummodo si plures administrent, idem unus formam proferat unctioni respondentem. In Ecclesia vero latina unus tantum illud administrare debet: sed in græca juxta antiquam ipsius consuetudinem septem, vel tres administrare possunt, si commode haberi queant. *Vide cap. Quæsivit 14. de Verb. signif.*

Ead. Sess. & cap.

XXI. Decretum statuens §. *Quibus verbis* materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, declararum est a Clem. VIII. valide conferri posse a Sacerdotibus Italo-Græcis oleo tum a semetipsis benedicto: quod idem confirmatum est a Bened. XIV. mox *cit. Constit. §. 4.*

Sess. XIV. cap. 5. De reform.

XXII. Decretum statuens §. *Idcirco* causas criminales, & mixtas ad locorum Ordinarios, & non ad Conservatores pertinere: civiles vero ab his posse cognosci, cum iis, quorum privilegia tuentur, rei sunt, non actores: & declarans §. *Universitates* non comprehendi in hoc decreto universitates generales, collegia doctorum, seu scholarium, & regularia loca, nec hospitalia actu hospitalitatem servantia, nec dictorum omnium locorum personas, ampliatum est prius a Clem. VIII. Constit. *Sanctissimus 19. Mart.* 1592. ac postea a Gregorio XV. Constit. *Sanctissimus 20. Septemb.* 1621. decernente inhærendo vestigiis ipsius Clementis.

1. Ut dicti conservatores nominandi ad iis, quibus a S. Sede hoc privilegium concessum est, sint in dignitate Ecclesiastica constituti, vel obtinentes personatum, vel Canonicatum in cathedralibus juxta cap. *Statutum 1. de Rescript. in 6.*

2. Ut sint nominati in provinciali, vel diœcesana synodo, & deinde ex iis electi in conservatores juxta Trid. *sess. XXV. c. 10. de ref. & cit. Const.* Clementis.

3. Ut nominatio aliter facta sit eo ipso nulla; regulares vero audentes aliter nominare, & aliter nominatis uti, ipso facto incurrant privationem vocis activæ, & passivæ Papæ reservatam, ac tam dicti regulares, quam sæculares, alias etiam exempti, aliter ut supra, nominantes, & respective utentes, careant conservatore per annum, quo durante, eorum causæ cognoscendæ sint a locorum Ordinariis.

4. Ut si aliquem ex dictis mori contigerit, substituatur alius ab Ordinario cum consilio capituli usque ad futuram synodum.

5. Ut eligentes conservatorem exhibeant documentum electionis, ut supra factæ apud acta curiæ Ordinarii; alias interim conveniantur coram eodem.

6. Ut conservatores sic electi mutari nequeant intra quinquennium, nisi ex causa cognita vel ab Ordinario, vel a Papa, prout electoribus libuerit.

7. Ut habentes conservatorem conveniri possint, & debeant coram ipso, non autem alios convenire, seu ad illum trahere. In quo Gregorius extendit ad conservatores privilegiatos quod Trid. loc. cit. statuit de conservatoribus secundum jura.

Ex eo autem, quod alios convenire, aut trahere non possint, non ideo conservatoribus sublata est facultas defendendi regulares a manifestis injuriis, & violentiis de facto ipsis illatis dum a suis possessionibus dejiciuntur, propriisque bonis uti, & frui impediuntur: dummodo habeant alia requisita secundum jura, & non trahant reos ultra unam dietam juxta decretalem Innoc. IV. & Bonif. VIII. *cap. 1. & 15. de Offic. deleg. in 6.* ut ex decreto Cong. Conc. relato in calce cit. Constit. Gregorii.

8. Ut controversia orta de jurisdictione inter conservatores, & Ordinarios definiatur per arbitros in forma juris electos, & interim suspendatur in causa principali juxta Trident.

9. Ut conservator procedere non possit contra quoscumque extra civitatem, seu diœcesim, in quibus deputatus est; & si limites suæ jurisdictionis excesserit, eo ipso incurrat suspensionem ab hoc officio per annum (per quod correctum est cap. *Hac Const. 15. de offic. delegat. in 6.* ubi secundum aliquos infligebatur pœna suspensionis etiam a divinis) & pars hoc fieri procurans incurrat excommunicationem, a qua nequeat absolvi, nisi satisfacta parte.

10. Ut omnes supradicti, non obstante hac Constitutione, petere possint in casibus a jure permissis a principibus, sive magistratibus sæcularibus judicem non suspectum; si tamen sint actores tantum, & non agant contra Clericum, vel alios a jurisdictione sæculari exemptos, ac si causa fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea Judex laicus eligendus juxta sacrorum Canonum dispositionem, sit competens.

Ead. Sess. XIV. cap. 6. de reform.

XXIII. Decretum statuens Clericos, aut in sacris constitutos, aut obtinentes dignitates, personatus, officia, & quæcumque beneficia Ecclesiastica, quantumcumque exemptos non deferentes habitum suis Ordinibus congruentem juxta Episcopi ordinationem, coerceri posse per suspensionem ab Ordinibus, officio, beneficio, & proventibus ipsorum beneficiorum, ac etiam per privationem eorumdem beneficiorum, & officiorum, si semel correcti denuo in hoc deliquerint, ampliatum est a Sixto V. Constit. *Cum sacrosanctum 9. Jan.* 1589. decernente, ut quicumque Clerici, etiam Clericali dumtaxat tonsura insigniti, beneficiati, aut pensionarii, licet conjugati, aut exempti, si habitum Clericalem (idest talarem), aut tonsuram non gestaverint, & si milites sint, habitum suæ militiæ congruentem non detulerint, ipso jure privati sint omnibus beneficiis Ecclesiasticis, & pensionibus, nulla monitione, aut sententia expectata; & habentes beneficia talibus pensionibus gravata non teneantur ulterius eos solvere: beneficia vero sic amissa perpetuo reservata sint collationi S. Sedis.

Excipiuntur tamen ab his pœnis ex altera ipsius Const. *Pastoralis 31. Jan.* 1589. obtinentes pensionem non excedentem valorem sexaginta ducatorum auri de camera: si vero excedat, declarantur dictis pœnis non ligari, nisi postquam eam exigere cœperint, vel per ipsos steterit, quominus exigant vel percipiant. Excipiuntur etiam familiares Papæ inferioris familiæ, ut famuli, qui non tenentur vestem Clericalem deferre.

Ampliatum est etiam a Bened. XIII. Const. *Catholicæ 2. Maji* 1725. decernente, ut Ordinarii locorum, ubi sita sunt beneficia Clericorum Clericales vestes non deferentium, debeant contra ipsos procedere per citationes, domi dimissa copia, si domicilium habeant in eorum diœcesibus; sin minus, per citationes ad valvas, & sententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum juris ordine servato pronunciare; ita tamen, ut dicta beneficia reservata sint collationi S. Sedis juxta *cit. Constit. Sixti V.* Interim vero sic incedentes fructus, & proventus quoscumque non faciant suos, quamvis nulla præcesserit Ordinariorum citatio, monitio, aut judicialis actus, vel sententia; sed omnes ad commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus erecta sunt beneficia, sub pœna lethalis culpæ restituere teneantur, sublata etiam majori Pœnitentiario facultate eos condonandi.

Quæ sublata est etiam a Bened. XIV. Constit. *Pastor bonus 13. April.* 1744. §. 24. in casibus publicis tantum: in occultis vero tributa est pro eorumdem fructuum compositione, ac etiam condonatione cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, injuncta eleemosyna arbitrio ipsius majoris Pœnitentiarii taxanda, sed cum Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum pro condonatione, mediante tamen discreta compositione: cum pauperibus autem pro integra condonatione, injuncta juxta eorumdem vires eleemosyna.

Ead. Sess. XIV. cap. 7. de reform.

XXIV. Decretum statuens numquam promovendum esse ad sacros Ordines voluntarium homicidam etiam occultum, ampliatum est a Sixto V. Const. *Effrænatam 29. Octob.* 1588. hanc prohibitionem extendente ad procurantes quemcumque abortum: quamvis a Greg. XIV. Constit. *Sedes Apostolica 31. Maji* 1591. hujusmodi pœna restricta fuerit ad abortum fœtus animati tantum.

Eadem Sess. cap. 11.

XXV. Decretum statuens, non posse regularem transferri de uno ad alium Ordinem, & ad habitum, ac professionem admitti sub prætextu privilegiorum, nisi in Ordine, ad quem transfertur, perpetuo maneat intra claustra sub sui superioris obedientia, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Quacumque* 14. *Octob.* 1569. cessante quascumque Apostolicas concessiones post Concilium super his obtentas, ac nullam decernente admissionem, receptionem, & retentionem etiam juramento firmatam sub pœna in admittentes, & recipientes privationis omnium dignitatum, administrationum, beneficiorum, officiorum, fructuum, & pensionum Ecclesiasticarum, ac inhabilitatis ad eadem, tributa facultate Ordinariis procedendi tam contra recipientes, quam contra receptos.

Ampliatum est etiam ab Urban. VIII. Const. *Sacra Congregatio* 21. *Sept.* 1624. præcipiente quibuscumque regularibus superioribus, ne religioso sibi subdito facultatem concedant transeundi ad aliam Religionem licet arctiorem, nisi prius eis legitime constet, Religionem, ad quam transferendus est, patratam esse eum recipere, & tunc recta via transferatur, sub pœna in eosdem superiores aliter facere præsumentes privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad talia, cujus dispensatio Papæ reservatur. Decernente insuper irritum, & inane quidquid secus fuerit attentatum.

Ampliatum est insuper a Bened. XIII. Const. *Licet* 13. *Febr.* 1726. hujusmodi transitum interdicente, etiamsi de apostata transferendo agerentur, ad quemlibet militarem, aut hospitalarem Ordinem, vel hospitalarem simul, & militarem, quamvis in eo claustralis observantia vigeret; sublata quibuscumque facultate concedendi transitum ad dictos Ordines etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis, Nunciis, Vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi Episcopor. & Regul. ac Conc. Trident. Interpretum, ipsiquemet Cardinali majori Pœnitentiario; ut etiam fusius declaratum est in Constit. Benedict. XIV. *Pastor bonus* 13. *Apr.* 1744. ubi §. 33. interdicitur facultas eidem majori Pœnitentiario concedendi hujusmodi transitum ad Ordines militares, & hospitalarios, ut ad Ordines S. Spiritus in Saxia de Urbe (excepto Ordine S. Joannis de Deo) nec S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis. Concedere tamen potest hunc transitum, ut §. 34. nedum a laxiore Ordine ad arctiorem, sed etiam ad æqualem, & laxiorem justis, & gravibus de causis, audito prius superiore Ordinis, a quo, & cum consensu superioris Ordinis, ad quem fit transitus; qui de laxiore ad strictiorem impediri non debet sine causa. Si vero superiores duorum Ordinum dissentiant, devolvitur judicium ad S. Sedem, a qua derogari solet consensui superioris Ordinis laxioris, ut ex altera ejusdem Constit. *Ex quo* 14. *Jan.* 1747. §. *At enim*. Item ex cit. Constit. *Pastor bonus* §. 36. concedere potest transitum ab uno ad aliud monasterium monialibus existentibus tantum ultra montes ob legitimam causam, committendo hujus transitus exequendi facultatem arbitrio Ordinariorum cum clausulis opportunis pro casuum varietate. *Vide infra n. CII.*

Nota hic ex Constit. Urbani VIII. *Honorum* 24. *Februar.* 1643. quod Regulares ejecti, aut translati ad alium Ordinem etiam de licentia Papæ, qui ex Instituto, in quo prius professionem emiserunt, votum habent, seu juramentum annexum de non procurandâ, vel acceptanda dignitate, aut prælatura extra eorum Ordinem, remanent adstricti prædictis voto, seu juramento, reservata soli Papæ potestate illud irritandi, seu præceptum faciendi de acceptanda dignitate.

Ead. Sess. XIV. cap. 11.

XXVI. Decretum statuens Regularem aliter, ut supra translatum, etiam si Canonicus regularis sit, incapacem esse beneficii sæcularis etiam curati, ampliatum est a Benedicto XIV. Constit. *Quod infrunabili* 9. *Jul.* 1745. extendente hujusmodi prohibitionem ad Canonicos regulares Lateranenses, & SS. Salvatoris, licet numquam translatos, quibus interdicitur consequutio nedum beneficii sæcularis, & curati, sed etiam cujuscumque beneficii simplicis, & pensionis absque Indulto Apostolico non obstante decretali Innoc. III. relata in c. *Quod Dei timorem de statu monachorum*, cujus vigore poterant præfici Ecclesiæ parochiali, etiam sæculari de foro superioris consensu; cui per hanc Constitutionem expresse derogatum est. Provisi vero cum tali Indulto de beneficio curato, aut residentiali, ex ead. Constit. non arctantur habitum regularem deferre, nec socium sui Ordinis retinere; neque a superioribus revocari possunt ad claustra, etiamsi coadjutorem acceperint, aut jubilationem obtinuerint; ad quæ solum redire cogantur, si dicta beneficia resignaverint, vel iisdem per sententiam privati fuerint, aut perpetuo suspensi, & inhabilitati. Item ex altera ejusdem Constit. *Quo magis* 18. *Dec.* 1742. neque præfici possunt Presbyteri Congregationis Missionis beneficiis Ecclesiasticis personalem residentiam requirentibus, vel animarum curam annexam habentibus extra dictam Congregationem.

Sess. XXI. cap. 1. *de reform.*

XXVII. Decretum prohibens sub pœnis a jure statutis aliquid recipi pro collatione ordinum, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Cum primum* 1. *April.* 1566. infligente in convictos simoniam commisisse pro consequendis ordinibus pœnam carceris per annum, & suspensionis ipso facto ab illorum exequutione per decennium, absque spe dispensationis: in collatores vero, licet sint Episcopi, Archiepiscopi, vel his majores, pœnas a jure statutas.

Verum ex Const. Sixti V. *Sanctum* 5. *Jan.* 1588. ordinans incurrit perpetuam suspensionem a collatione Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & ab exequutione munerum Pontificalium, ac interdictum ab ingressu Ecclesiæ: ordinatus vero suspensionem ab exequutione Ordinum (etiam non simoniace susceptorum juxta probabiliorem sententiam) Ulterius scienter violantes has censuras per exercitium Ordinum iis vetitum præter irregularitatem ex eadem Const. ordinans incurrit suspensionem ab administratione Ecclesiæ, & a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum; & ordinatus exercendo Ordines etiam minores, privationes officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatem ad talia; & beneficia reservantur Papæ tamquam vacantia in Curia: quod si ordinatus regularis sit, incurrit privationem vocis activæ & passivæ, ac inhabilitatis ad eam.

Et hic peculiariter est notandum ex eadem Constit. quod ab his omnibus censuris, neque in casu occulto possit Episcopus in vim *c. 6. Trid. Sess. 24. de Reform.* absolvere, cui Sixtus derogavit: & quamvis quoad alia capita dicta Const. redacta fuerit a Clem. VIII. Const. *Romanum* 28. *Febr.* 1595. ad terminos juris communis, nihilominus §. 1. præservavit pœnas ibidem latas contra simoniacos in ordine.

Ex Const. Benedict. XIV. *Pastor bonus* 13. *Aprilis* 1744. §. 19. tribuitur Cardinali majori pœnitentiario facultas absolvendi hujusmodi simoniacos in occultis dumtaxat, & in foro conscientiæ tantum, injuncta gravi pœnitentia.

Ead. Sess. XXI. cap. 2. *de reform.*

XXVIII. Decretum statuens neminem sæcularem promovendum ad sacros ordines sine beneficio Ecclesiastico, quod sibi ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat, ampliatum est a S. Pio V. Const. *Romanus* 14. *Octob.* 1568. hoc extendente etiam ad Clericos regulares non professos, sive sæculares more Religiosorum in communi viventes. Excipiuntur tamen Religiosi Societatis Jesu, licet vota tantum simplicia emiserint ex Const. Greg. XIII. *Ascendente* 1584. & Gregorii XIV. Constit. *Ecclesiæ* 1591.

Ampliatum est etiam, & declaratum ab Innoc. XII. Constit. *Speculatores* 4. *Novem.* 1694. hæc decernente §. 3. *Licet vero Clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur; sublata*

sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii aliunde pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi obtineret. Ac Episcopus sic ordinans tam de præditis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi expressam inconsueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Ex declaratione Innoc. XIII. Const. *Apostolici* 13. *Maji* 1723. pro Regnis Hispaniæ, & a Bened. XIII. extensa ad totum Orbem Const. *In supremo* 23. *Sept.* 1724. sufficientia beneficii, si hoc continuam, & perpetuam residentiam exposcit, desumenda est a taxa præscripta in diœcesi, in qua beneficiatus illud possidet; si vero hic non obstringitur hoc vinculo, desumenda erit a taxa synodali præfinita, vel hac deficiente, a more vigente in loco, ubi domicilium habet.

Post publicationem cit. Const. *Speculatores* usque a die 14. Ap. 1696. vivente adhuc ipso Innoc. XII. Legislatore, pluries exorta est controversia, ne ab eadem Constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, annexarum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ, sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium, librariisque in Congr. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit id in utroque casu relinquendum esse arbitrio Ordinariorum, ut videre est in Thesauro Resol. ejusd. Cong. sub die 8. Aug. 1722. 24. Apr. & 17. Jul. 1723. cui responso adhæret etiam Bened. XIV. *lib. XII. de Synod. Diœc. cap. 9. n. 6. & 7.*

§. 4. *Ceterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione mimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonicum aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio, similiter recensendas præsentare teneatur.*

§. 5. *At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis adibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu, se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in suscipiendorum Ordinum litteris facienda erit.*

§. 6. *Ad hæc nullus Episcopus aliena diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus originis, scilicet seu domicilii Prælati testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Conc. Trid. præfati sess. 23. c. 9. de ref. familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius præfinitum sufficiat, quacumque causa cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat, ac in ordinationis ejusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.*

§. 7. *Porro ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus ... ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Conc. Trid. supradicti sess. 14. c. 3. de ref. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benevisо ad docendum de hujusmodi adimplemento; itaut quos, eo termino elapso, id minime præstitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo Ordine ministrent interdicere possit.*

§. 8. *Si quid in eisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum; ordinatus vero a susceptorum Ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendos utergue subjaceat.*

Sess. XXI. cap. 2. *de reform.*

XXIX. Decretum statuens §. *Patrimonium*, neminem ad sacros Ordines esse promovendum ad titulum patrimonii, vel pensionis, nisi Episcopus sic judicaverit expedire pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, constito tamen prius de tali titulo, ejusque sufficientia ad vitam honeste sustentandam, antiquorum Canonum pœnas in contrafacientes innovando, confirmatum est quo ad primam partem ab Innoc. XI. qui litteris encyclicis ad singulos Episcopos missis 13. *Maji* 1679. relatis a Benedicto XIV. Instit. Ecclesiast. 26. hoc Trid. decretum penitus servari jussit: declaratum autem est ab Innoc. XII. cit. Constit. *Speculatores* decernente §. 1. Episcopos ad id non coarctari.

Quoad secundam vero partem, cum inter pœnas a Trid. innovatas sit suspensio ab exercitio Ordinum contra ordinatum titulo imparis beneficii, aut fictitii patrimonii (& irregularitas, si Ordines exerceat) ut etiam declaravit Cong. Conc. 27. *Novemb.* 1610. ampliatum est ab Urbano VIII. Constit. *Secretis* 11. *Decemb.* 1624. infligente pœnam perpetuæ suspensionis eo ipso incurrendæ absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ in Ultramontanos, seu exteros, si in Italia ficto, vel fiduciario, vel falso patrimonii titulo se faciant promoveri. *Vide Additiones meas lib. I. tit.* 11. §. 3. *post n.* 18. *&* 19.

Sess. XXI. cap. 8. *de reform.*

XXX. Decretum mandans Episcopis tamquam delegatis Sedis Apostolicæ, ut singulis annis visitent monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, extensum est ab Innoc. X. Decreto *Ut in parvis* 10. *Febr.* 1654. ad omnes regulares, quorum conventus numquam fuppresti fundati fuerunt intra Italiam, & Insulas adjacentes ante decretum Urb. VIII. nempe ante diem 21. *Jun.* 1625. hos, personasque tam regulares, quam sæculares in ipsis degentes subjiciendo visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato, si ibi actu non alantur saltem sex Religiosi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor sint Sacerdotes maturæ ætatis (quadraginta nempe annorum completorum) sicut & conventus erectos post dictam diem, in quibus degunt Religiosi minori numero, quam duodecim. Quæ decreta una cum altero Gregorii XV. confirmata, & renovata fuerunt ab Innoc. XII. Const. *Nuper* 23. *Decemb.* 1697. §. 15.

Vigore cit. decret. Innoc. ex declarationibus Congr. super statu Regularium approbatis ab Alexand. VII. 27. *Julii* 1655. Episcopus in dictis conventibus, in quibus non degunt sex Religiosi, ut supra, potest.

1. Removere ex rationabili causa Religiosos, monito tamen prius eorum superiore, ut alio eos transferat.

2. Compellere superiorem localem ad sibi exhibendos libros introitus, & exitus, & ad reddendam rationem administrationis.

3. Se ingerere in concernentibus disciplinam regularem.

4. Visitare Ecclesiam, & Conversos in granciis degentes, earumque capellas, sive hi ibidem degant, sive non.

5. Prosequi causam, in qua contra aliquem religiosum prævenit, & eum, si amotus fuerit a suo superiore, revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio sæculari cujuscumque loci, in quo idem religiosus reperitur.

Quæ facultates omnes competunt etiam Vicario generali Episcopi, ac Abbatibus, aliisque superioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus: salva tamen semper jurisdictione superiorum regularium quoad visitationem, correctionem, & punitionem religiosorum, non vero privative ad Episcopum, aliosque hic enunciatos.

6. Vocare ad synodum diœcesanam ex declaratione ejusdem Alex. VII. 10. *Maji* 1663. superiores dictorum conventuum, qui si vocentur, tenentur ad illam accedere.

In prædictis autem conventibus Episcopus non potest.

1. Deputare superiores locales, & familiam constituere.

2. Visitare dictos conventus tam suppressos, & postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi, an ibidem revera alantur sex Religiosi, antequam aliunde constet de fundamento ipsius intentionis in deficientia dicti numeri.

3. Quidquam exigere procurationis nomine, cum visitat dictos conventus, personasque ibi degentes,

4. Reassumere causam, superiorique inhibere, quando hic prævenit in eadem causa contra Religiosum, fabricando processum, vel cum carceri mancipando, dummodo ipsi non constet ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius ab eodem superiore constitui, quam causa deposcat.

5. Prohibere, ne aliquis Religiosus a suo superiore inde amoveatur.

Ex iisdem declarationibus notandum est.

1. Conventum non remanere suspensum, si ex rationabili causa ad breve tempus unus, vel plures ex sex religiosis ibi degentibus absint.

2. Conventum non suppressum subjacere jurisdictioni Ordinarii pro tempore absentiæ, si absit aliquis ex dictis sex, etiam ex rationabili causa, & ad modicum tempus; non vero impleto numero post illius reditum.

3. Gratiam restiturionis conventus suppressi ex causa deficientiæ numeri Religiosorum non revivisceremipleto postea numero; non potest tamen Episcopus illius possessionem capere, aut Religiosos expellere in vim cit. decreti ante declaratoriam a se faciendam super facto, prævia cognitione: a qua declaratoria licitum est regularibus ad sanctam Sedem appellare in devolutivo tantum.

Item ex aliis declarationibus ejusdem Congr. 11. *Septemb.* 1670. & 19. *Novemb.* 1671. potest Ordinarius.

4. Visitare grancias suppressas, & ad statum sæcularem redactas, illarumque Ecclesias etiam non habentes curam animarum, & publica oratoria privative quoad superiores regulares: non tamen se ingerere in temporalibus, si earum proprietas reservata, vel restituta est principalibus monasteriis: quoad conversos vero ibidem degentes cumulative cum iisdem superioribus.

5. Item potest prosequi causam a se legitime inceptam ante recuperationem exemptionis conventuum contra Religiosum, eumque condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva, si exemptione supervemente ipsum liberum non inventerit.

6. Non potest autem visitare eosdem conventus postquam exemptionem recuperaverunt, ut certioretur, an decreta a se facta in visitatione ante dictam recuperationem fuerint exequutioni demandata, nec ea exequi; minusque pœnas adjicere pro illorum exequutione, cum ipsius jurisdictio expiraverit, statim ac conventus ob numerum Religiosorum usque ad sex sine fraude adauctum, exemptionem recuperarunt.

7. Superiores regulares possunt nominare Vicarios dictarum Ecclesiarum, si curam annexam habeant, eosque ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos deputavit amovibiles.

Eadem Sess. XXI. cap. 9.

XXXI. Decretum prohibens quæstores eleemosynarum cum publicatione Indulgentiarum, ut supra num. VIII. ampliatum est, ut ibi.

Sess. XXII. cap. 6. de Sacrif. Missæ juncto cap. 8. Sess. XIII. de Eucharist.

XXXII. Decretis, quibus fideles nedum hortantur ad sanctissimæ communionis frequentiam, sed etiam eis demonstratur Concilii desiderium, ut in singulis missis assistantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, accessit declaratio Innocentii XI. ut ex decreto Congr. Conc. ejus jussu edito 12. *Feb.* 1679. & relato *lib. VIII. de synodo diœc. cap.* 12. *num.* 8. quo hujusmodi frequentia permittenda, aut deneganda statuitur juxta prudens Ordinariorum judicium, sive per se, sive per Parochos, aut confessarios dirigendum secundum peculiarem cujusliber statum, devotionem, & charitatem.

Notandum hic ex decreto Sac. Rit. Cong. 2. *Sept.* 1741. quod si obsequendo Concilii desiderio fideles communicare volluerint in missis defunctorum, non est eis administranda Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pixidem a custodia, sed per modum Sacrificii; prout est, quando ipsis administratur cum particulis intra eamdem missam consecratis.

Eadem Sess. cap. 8. de Sacrif. Miss.

XXXIII. Decretum statuens, ut missa celebretur retento antiquo ritu cujuscumque Ecclesiæ (latinæ, nempe & græcæ), & a S. Romana Ecclesia approbato, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Providentia* 20. *Aug.* 1566. revocante facultatem quomodolibet concessam Græcis latino ritu, & Latinis græco more eam, & divina officia celebrandi; sub pœna in contrafacientes perpetuæ suspensionis a divinis.

Ex decreto tamen factæ Inquisitionis ann. 1602. approbante Clemente VIII. relato a Benedicto XIV. Constit. *Imposito* 29. *Mart.* 1751. §. 7. licet Sacerdotibus ruthenis in Ecclesiis ritus latini uti altaribus, calicibus, & vestibus sacris pro celebratione missæ, etiam devotionis causa, quibus utuntur Latini; sicut & Sacerdotibus ritus latini in Ecclesiis Ruthenorum uti altaribus cum eorumdem antimensiis, idest linteis Episcopali benedictione consecratis loco sacrati lapidis, calicibus, & vestibus, dummodo eorum quilibet celebret in suo respective ritu, secluso scandalo, & de licentia Prælatorum, ac Rectorum ipsarum respective Ecclesiarum: quod facere poterunt in solo casu necessitatis, cum scilicet Presbyteri latini longe degunt ab Ecclesiis latini ritus; ac propterea secum deferre nequeant sacratas tabulas lapideas sine gravi incommodo, & periculo eas constringendi, ut ex cit. §. 7.

Eadem Sess. XXII. & cap. 8.

XXXIV. Decretum mandans 8. *Atque*, ut Episcopi cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniæ labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant, declaratum est prius ab Urbano VIII. Const. *Cum sape* 21. *Jun.* 1625. cujus decreta referuntur in Const. Innoc. XII. *Nuper* 24. *Decemb.* 1697. & postremo ab Alex. VII. ut ex his propositionibus ab ipso proscriptis 24. *Septemb.* 1665. *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui missa celebranda traditur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando tenetur partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urban. VIII. — Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata dumtaxat stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Hæ tamen prohibitiones locum non habent in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ita ut illorum rectores, qui possunt per alios celebrare, teneantur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii, sed satis est, ut dent eleemosynam congruam secundum morem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione aliud cautum fuerit, ut ex responsione ad decimum dubium relata post cit. Constit. Urbani.

His

His accedit Constitut. Benedicti XIV. *Quanta* 30. *Jun.* 1741. prohibentis sub pœna excommunicationis in laicos, suspensionis vero in Clericos ipso facto incurrendarum, & Papæ reservatarum, colligentes missas, easque celebrari facientes, ubi easdem collegerunt, vel alibi, retenta sibi parte eleemosynarum acceptarum.

Ead. Sess. XXII. in decreto de observandis, & vitandis in celebrat. Miss.

XXXV. Decretum prohibens §. *Deinde* in Ecclesiis omnes, sæculares actiones, vana, & profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores; ampliatum est a S. Pio V. Const. *Quamprimum* 1. *April.* 1566. statuente, ut vociferantes, deambulantes, aut verso tergo ad SS. Sacramentum irreverenter sedentes, dum missæ, & divina officia celebrantur, & verbum Dei prædicatur, mulctentur pœna 25. ducatorum; & si non sint solvendo, pœna corporali, aut exilio. Eadem pœna, & alia carceris per mensem plectantur ibidem colloquia habentes cum impudicis mulieribus, aut etiam cum honestis feurriliter loquentes, aut alios inhonestos actus facientes. Habentes autem cum quibuscumque personis fœda colloquia, aut signa, pœna decem aureorum, aut alia corporali. Præpositi, & officiales quarumcumque sæcularium Ecclesiarum prædictos non admonentes, & non impedientes, pœna duorum aureorum pro qualibet vice, sicut & non ejicientes pauperes mendicantes tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum sub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice: sed parochi dimidii aurei pariter pro qualibet vice. Regulares vero id non præstantes corripiantur a locorum Ordinariis.

Eadem Sess. XXII. & decr.

XXXVI. Decretum statuens §. *Postremo* missas celebrandas esse debitis horis, declaratum, & simul ampliatum est a Pio V. Constit. *Sanctissimus* 29. *Mart.* 1566. prohibente, ne quis eas præsumat celebrare vespertino tempore prætextu quorumcumque privilegiorum sub pœna perpetuæ suspensionis a divinis.

Sess. XXII. cap. 1. de reform.

XXXVII. Decretum præcipiens Clericis delationem habitus suo statui congruentis, ampliatum est ut supra num. XXIII.

Ead. Sess. & cap.

XXXVIII. Decretum præcipiens §. *Cum igitur* observanda esse quæcumque statuta sunt a summis Pontificibus, & Conciliis contra Clericos sæcularibus negotiis se immiscentes sub pœnis ab iisdem impositis, & etiam majoribus arbitrio Ordinariorum, ampliatum est a Bened. XIV. Constit. *Apostolicæ* 28. *Feb.* 1741. dictas pœnas extendente ad Clericos illicite sub alieno nomine negotia exercentes, perinde ac si per se, & proprio eorum nomine eadem exercerent. Decernente insuper.

1. Ut omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine acquisita sub spolii pœna subjiciantur juxta Constit. Pii IV. *Decens* 5. *Novemb.* 1560.

2. Ut negotia per laicos prius inchoata, & ad ipsos Clericos delata continuari nequeant sub iisdem pœnis, nisi urgeat necessitas, & de licentia Cong. Conc. aut etiam Ordinarii extra Italiam, ad tempus dumtaxat concedenda; ita tamen, ut pertractentur per interpositam laici personam.

3. Ut exempti a spolio ad effectum testandi, aut transmittendi in hæredes, ab eo non eximantur quoad bona sic acquisita, non obstante Indulto Pii IV. Constit. *Romanus Pontifex* 5. *Februarii* 1560. & Pauli V. *In eminenti* 8. *Aprilis* 1606. favore curialium, incolarum, & originariorum Urbis, etiam Presbyterorum in ipsa Urbe, & ejus districtu intra decem milliaria, quibus Constitutionibus in hac parte derogatur.

Licitum tamen est eis in terris propriis, non tamen conductis, agriculturam exercere ex Const. Clem. VIII. *Inter multiplices* 4. *Decemb.* 1600.

Sess. XXII. cap. 2. juncto cap. 1. Sess. VII. de reform.

XXXIX. Decretum statuens ut præter alias qualitates promovendus ad Episcopatum sit *in sacro Ordine P. Remigii u S. Erasmo.* Pars I.

ante saltem sex mensium spatio constitutus, declaratum est a Gregorio XIV. Constitut. *Onus* 15. *Maji* 1591. expresse decernente §. 9. ut saltem ante sex menses initiatus sit sacris Ordinibus: ex qua plurali Gregorii locutione infert Barbosa ad hoc idem Trident. cap. oportere eum omnibus sacris Ordinibus initiatum fuisse ante sex menses: & ex hac Pontificis declaratione fortasse ortum habuit mos apponendi in Bulla subdiaconi promovendi ad Episcopatum clausulam - *Postquam tamen ad sacros diaconatus, & Presbyteratus Ordines te promoveri feceris*, de qua mentionem facit Riganti ad regulam 24. Cancellariæ *tom.* 2. §. 1. *n.* 17. Nec ullum etiam ante Tridentinum, & Gregorium repertum est exemplum Episcopatus non Presbytero collati, ut ostendit Morinus *de sacr. Ordinationibus part.* 3. *exercit.* 11. *cap.* 2. quamvis Subdiaconus eligi possit in Episcopum juxta *cap. A multis* 9. *De atat. & qualit. præficiend.*

Eadem Sess. XXII. c. 2. juncto c. 1. Sess. XXIV. de ref.

XL. Decreto statuenti §. *Ideoque*, ut idem promovendus inter alias qualitates debeat esse magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure Canonico in aliqua studiorum universitate, vel publico alicujus accademiæ testimonio idoneus ad alios docendos repertus, accessit Constitut. S. Pii V. *Quamvis* 1. *Jun.* 1568. revocantis indulta, & privilegia creandi ad dictum effectum doctores, licentiatos, & magistros quomodolibet concessa Comitibus Palatinis, ac quibusvis collegiis officialium Romanæ Curiæ, & aliis.

Nota, quod licet promovendus, sit licentiatus, ut supra, non inde tamen ex cit. Const. Gregorii eximitur ab examine quoad doctrinam.

Eadem Sess., & cap.

XLI. Idem decretum statuens, Regularem promovendum ad Episcopatum debere & ipsum habere testimonium sufficientis doctrinæ a superioribus suæ Religionis, declaratum est ab eodem Greg. cit. §. 9. *hos nempe intelligendos esse, qui nullum sui Ordinis superiorem agnoscunt: sive ii cujusvis Ordinis Abbates, Magistri, & Ministri, Præpositi generales, aut quarumlibet Congregationum præsidentes, sive definitores, aut visitatores capitulum generale repræsentantes, sive alii quocumque vocabulo nominentur; & in eorum absentia ipsorum vicarii, seu commissarii generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte succedant.*

Eadem Sess. XXII. cap. 2.

XLII. Decretum insigens excommunicationem Papæ reservatam in occupantes bona cujuscumque Ecclesiæ, aut loci pii, ampliatum est a *Bulla Cœnæ cap.* 17. extendente hanc pœnam etiam in usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, vel proventus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes.

Sess. XXIII. cap. 1. de reform.

XLIII. Decretum edicens, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, pro iis sacrificium offerre, declaratum est a Benedicto XIV. Const. *Cum semper* ad Italiæ Ordinarios 19. *Augusti* 1744. statuente.

1. Parochos, seu alios animarum curam habentes, licet congruis redditibus destitutos, teneri ad applicationem missæ pro populo dominicis, aliisque per annum diebus festis dumtaxat de præcepto, iis etiam comprehensis, quibus populus tenetur missam audire, licet permissum sit opera servilia exercere, sive redditus sint pingues, sive tenues; non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

2. Teneri etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac Parochos regulares.

3. Episcopum posse dispensare cum Parochis pauperibus ab hac applicatione diebus festis; ita tamen, ut celebrent in Ecclesia Parochiali, ac totidem missas intra hebdomadam applicent pro populo, quot in diebus festis intra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus benefactoris obtulerint.

4. In Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedrali-

libus, & Collegiatis quotidie applicandam eſſe pro benefactoribus in genere primam miſſam conventualem, contraria conſuetudine non obſtante: non vero ſecundam, & tertiam, niſi aliud fuerit uſu receptum.

Nota ex decreto Congr. Conc. 29. *Jan.* 1724. Parochos etiam amovibiles teneri ad dictam applicationem, licet nihil percipiant a parochianis; ſed exiguos tantum menſtruos proventus accipiant a locorum, vel parochiarum dominis.

Parochi Urbis Romæ ex edicto Benedicti XIII. 17. *Jan.* 1727. ut in ſtatuto Cler. Rom. cap. 5. de ordine proceden. in funeralib. proceſ. poſt §. 10. tenentur applicare miſſam gratis pro anima defuncti pauperis præſente cadavere.

Reliqua circa miſſæ applicationem, *Vide in Additionibus meis lib. III. tit. 41.*

Seſſ. XXIII. cap. 1. de reform. junctо cap. 1. Seſs. VI.

XLIV. Decretum imponens §. *Eadem* certas pœnas in Parochos non reſidentes, ampliatum eſt a Pio IV. ut ſupra num. IX.

Eadem Seſs. cap. 7. de reform.

XLV. Decretum ſtatuens diligenter inveſtigandum, & examinandum ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem, ampliatum eſt ab Innocen. XIII. Conſtitut. *Apoſtolici* 13. *Maji* 1723. pro reſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica in Regnis Hiſpaniarum a Benedicto XIII. extenſa ad totum Orbem Conſtitut. *In ſupremo* 23. *Septemb.* 1724. hæc addentibus §. 5. ibi - *Qui vero ad Presbyteratum erunt aſſumendi, idonei prius per accuratum ſimiliter examen comprobentur ad miniſtranda ſacramenta, & ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: quod quidem ut recte præſtari poſſit, eoſdem Epiſcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri poteſt eos tantum ad ſacerdotium aſſumant, qui ſaltem theologiæ moralis competenter periti ſint.*

Ead. Seſs. cap. 9.

XLVI. Decretum ſtatuens non poſſe Epiſcopum ordinare familiarem, ſuum non ſubditum, niſi poſt triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, etiam immemorabili declaratum eſt ab Innoc. XII. ut ſupra num. XXVIII. §. 6.

Ead. Seſs. XXII. cap. 12.

XLVII. Decretum prohibens §. *Regulares*, hos promoveri ad Ordines ſine Epiſcopi examine, declaratum eſt decreto Conc. juſſu Clem. VIII. edito 15. *Martii* 1599. decernente Epiſcopum debere eſſe illius diœceſis, in qua ſitum eſt monaſterium, cui regulares ordinandi aſſignati ſunt de familia.

Ead. Seſs. XXIII. cap. 15. de reform.

XLVIII. Decretum ſtatuens nullum etiam Regularem audire poſſe ſæcularium, etiam ſacerdotum confeſſiones ſine Ordinarii approbatione, & prævio examine, ſi ita ei videbitur, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Romani Pontificis* 6. *Aug.* 1571. decernente ſine dicta approbatione eas audire non poſſe, licet ſint mendicantes, & lectores, aut in theologia graduati. Quod idem declaratum fuiſſe refert Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt.* 86. a Congr. S. Officii an. 1640. pro quibuſcumque ſacerdotibus ſac. theologiæ, & juris Pontificii laurea donatis; & Urban. VIII. Conſtitut. *Cum ſicut* 12. *Septemb.* 1628. abrogavit quodcumque privilegium eas audiendi ſine approbatione Ordinarii.

Ampliatum eſt etiam a Gregor. XV. Conſtitut. *Inſcrutabili* 5. *Febr.* 1622. ſtatuente, Regulares ne audire quidem poſſe confeſſiones monialium iiſdem ſubjectarum ſine dicta approbatione: poſſe vero Epiſcopos confeſſarios ſic deputatos toties, quoties opus fuerit, amovere, ſi eorum Superiores moniti detrectaverint, vel negligentes fuerint in illis removendis. Imo approbati in confeſſarios ordinarios pro uno monaſterio, non intelliguntur approbati pro altero; nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire poſſunt ſine nova approbatione, toties quoties, earumdem monialium confeſſiones ex declaratione Clementis X. Conſtitut. *Superna* 21. *Jun.* 1670.

Declaratum inſuper fuit ab Alexandro VII. quoad durationem approbationis Regularium conceſſæ pro audiendis ſæcularium confeſſionibus, die enim 30. *Jan.* 1695. declaravit falſam, temerariam, ſcandaloſam, & erroneam hanc propoſitionem - *Non poſſunt Epiſcopi limitare, ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*, quæ propoſitio relata a Bened. XIV. *lib. X. de ſynodo diœc. c. 16. n. 7.*

Verum tamen eſt, quod ſi iis conceſſa fuerit ſine ulla temporis limitatione, ex Conſtit. Innoc. X. *Cum ſicut* 14. *Maji* 1647. §. 2. *An Epiſcopus* illam adimere, aut ſuſpendere nequit ſine contraria aliqua adveniente cauſa, ad ipſas tamen confeſſiones pertinente. Unde idem Clem. X. cit. Conſtit. *Superna* §. 4. aditum Epiſcopis aperuit ad tollendas quaſcumque difficultates, ut limitatam hujuſmodi facultatem Regularibus impertirent, præcipiens, ut magis idoneis abſque ulla limitatione, minus vero idoneis eadem facultas circumſcripta tribuatur.

Cavere etiam debent Epiſcopi in impertienda Regularibus facultate pro audiendis ſæcularium confeſſionibus a reſtrictionibus appoſitis in quodam Epiſcopi edicto, quas Cong. Epiſcop. & Regul. moderata eſt ſequenti decreto relato a Pignatelli *tom. X. conſul. 71. num. 6. - S.C. cenſuit præfatum edictum moderandum, & corrigendum eſſe, prout præſentis decreti vigore moderatur, ac corrigit.... Quoad habitum, quo uti debent Regulares in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ, declaravit ſufficere, ſi audiant cum habitu eorum ordinario, & ſtola, juxta decretum alias emanatum ſub die* 10. *Jul.* 1625. *a ſacra Cong. Viſitationis Apoſtolicæ. Quoad locum mandavit auſcultari in Eccleſia, & intra crates; quando tamen neceſſitas vel rationabilis cauſa aliter non ſuadeat ac etiam in ſacrario, vel alio decenti loco poterunt audiri: ſuper quo etiam declaravit, non licere Epiſcopis neque per ſe, neque per ſuos deputatos viſitare confeſſionaria, ſive loca Regularium, ubi confeſſiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an ſint juxta ipſorum decreta, ſed hoc relinquendum eſt omnino viſitationibus ſuorum ſuperiorum. Similiter inhærendo aliis decretis ab eadem Sac. Cong. emanatis, & præcipue* 13. *Septemb.* 1641. *noluit teneri Regulares petere licentiam ab Epiſcopo, vel curato accedendi ad infirmos pro Sacramento pœnitentiæ adminiſtrando, ſed ſufficere, ſi poſtea fidem habitæ confeſſionis in domo eorumdem infirmorum relinquant. Inſuper mandavit, tolli omnino ab eodem edicto verba illa, quibus de certo genere perſonarum fit mentio. Voluit ſiquidem, ut loquatur abſolute, ac ſimpliciter de omnibus, nulla facta ſpeciali mentione; ita ſcilicet, quod nemini adminiſtretur tale ſacramentum ante ortum, nec poſt occaſum ſolis, niſi tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter ſuaſerit: in quo caſu voluit, & licere, & eum omnibus. Ulterius præcepit pœnas omnes tam ſuſpenſionis, quam pecuniarias ab eodem edicto tollendas, caſſandas, & expungendas eſſe.*

Seſſ. XXIII. cap. 16. de reform.

XLIX. Decreto ſtatuenti neminem ordinari debere, quem Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ utilem, & neceſſarium non judicaverit, acceſſit decretum Congr. Concil. 21. *April.* 1668. approbatum a Gregorio XIII. ac relatum *lib. XII. de ſynodo diœc. cap. 7. num.* 4. declarans ab hujuſmodi judicio nullam dari appellationem, ſed recurſum dumtaxat ad Sedem Apoſtolicam; ac propterea eadem Cong. quoties Ordinarius recuſat quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Epiſcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat cauſam recuſationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recuſatum ordinare.

Eadem Seſſ., & cap.

L. Decretum ſtatuens, inhærendo veſtigiis ſexti Canonis Conc. Chalcedonenſis ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut

aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus; nec incertis vagetur ſedibus: Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur - declaratum, & ampliatum fuit ab Innoc. XIII. Conſtit. *Apoſtolici* 13. *Maii* 1723. decernente hanc Trident. regulam omnino ſervandam eſſe ne dum quoad promovendos ad Ordines licentiatos, ſed etiam quoad prima tonſura initiandos. Hoc inſuper addito, quod ſi qui reperirentur, vel clericali tonſura jam initiati, vel ad Ordines ſive minores, ſive majores jam promoti, qui nulli certæ Eccleſiæ, vel loco pio adſcripti fuerint, Epiſcopi hanc adſcriptionem vel a ſe, vel a ſuis Prædeceſſoribus omiſſam ſtatim ſupplere debeant, reſpectu illorum, qui beneficium eccleſiaſticum poſſident; ex reliquis autem eo carentibus illos tantum adſcribant, quos Eccleſiis ſuis utiles, & neceſſarios noverint. Quæ Conſtitutio licet emanata fuerit pro reſtauranda diſciplina eccleſiaſtica in Regnis Hiſpaniarum, extenſa tamen fuit ad totius Orbis Epiſcopos pro norma circa præmiſſa ab iiſdem ſervanda a Benedict. XIII. Conſtit. *In Supremo* 23. *Septem.* 1724.

Eadem Seſſ. XXIII. cap. 18. de refor.

LI. Decreto enumeranti §. *Et quia*, quæ loca taxari debeant pro conſtructione, & manutentione ſeminarii acceſſit Conſt. Bened. XIII. *Creditæ* 9. *Maii* 1725. pro Italia, & Inſulis adjacentibus, cujus ſumma conſulto omittitur, cum fere jam exequutioni demandata fuerit, ubi commode fieri potuit. In quo autem ex dicta Conſtit. ampliatur hoc Tridentini decretum, eſt inhibitio Epiſcopis facta §. 9. ne pro ſe, vel ſuis vicariis, aut familiaribus habitatione, coquina, famulis, miniſtris, aut officialibus ſeminarii, vel lectoribus, magiſtris, ſacerdotibus, & Clericis quocumque modo inſervientibus eidem ſeminario, & alumnis, vel ab eo ſalariatis uti audeant ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Non prohibentur autem uti cæremoniarum magiſtro, vel ſacerdotibus a ſeminario detentis, cum exercent pontificalia.

Eadem Seſſ. & cap.

LII. Decretum ſtatuens poſſe Epiſcopum unire ſeminario beneficia aliquot ſimplicia etiam ante vacationem ... *quod locum habeat etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affecta, nec uniones beneficiorum ullomodo impediri poſſint, ſed omnino quacumque vacatione etiam in Curia effectum ſuum ſortiantur* ... declaratum prius fuerat decreto Clem. VIII. quo prohibuerat ut uniones beneficiorum eccleſiaſticorum diſpoſitioni Sedis apoſtolicæ tempore, quo uniuntur reſervatorum, vel affectorum, fieri poſſent etiam vigore decretorum Sac. Conc. Trident. in favorem ſeminariorum ad præſcriptum ejuſdem Trident. crectorum, ſeu erigendorum - quod decretum confirmatum etiam fuerat ab Urbano VIII. Conſtitut. *Quamvis* 15. *Jul.* 1642. §. 1. cum declaratione, in hujuſmodi decreto comprehendi etiam S. R. E. Cardinales, aliaſque habentes indulta conferendi reſervata, ſeu affecta, hoſque non poſſe - *in vim illorum, nec vigore ejuſdem Concilii, aut alias etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quod ex prædictis indultis extincta, & ſubtuta ſint reſervationes, & affectiones, eadem beneficia, quomodolibet tempore unionis reſervata, vel affecta unire etiam ſeminariis prædictis puerorum, nec de iis per viam cujuſcumque unionis, ſuppreſſionis, vel applicationis diſponere, nec etiam in vim prædictorum indultorum reſervata, & affecta conferendi, ac de iis diſponendi potuiſſe; nec poſſe conferre beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta.*

Verum ex cit. Conſt. Benedict. XIII. *Creditæ* Epiſcopis Italiæ, & Inſularum adjacentium tribuitur §. 5. jus uniendi ſeminario - *beneficia ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel quomodocumque affecta, & diſpoſitioni Sedis apoſtolicæ reſervata.... Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII... conſtitutionibus, vel decretis in contrarium facientibus non obſtantibus.*

Non inde tamen hoc privilegio uti poſſunt quoad beneficia Sedis apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata abſolute, & indiſcriminatim, ut ex contextu ejuſdem Conſtitutionis animadvertit Benedictus XIV. *lib. IX. de ſynodo diœc. cap. 7. num.* 8. ſed cum approbatione Congregationis ab eodem ſuper ſeminariis inſtitutæ, & poſtquam conſtiterit proventus ſeminarii non eſſe ſufficientes neceſſariæ ſuſtentationi alumnorum juxta taxam ibidem præſcriptam: ſiquidem Pontifex tunc, & in eo caſu, ac in ſubſidium tantum - *prædicta beneficia, non tamen jam vacantia ſeminarii uniri voluit.*

Nota, quod ex cit. decreto Clementis VIII. non eſt ſublata facultas Epiſcopis faciendi uniones illorum beneficiorum, quas facere poſſunt in vim *c. 5. Seſſ. 21. & c. 15. Seſſ. 24. de reform. Fagn. in c. Sicut de excef. Prælat. n. 37.*

Seſs. XXIV. c. 1. de refor. Matrim.

LIII. Decretum præcipiens, ut antequam matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publice denuncietur, ampliatum eſt decreto Congregationis habitæ coram Innoc. XII. ann. 1697. confirmato a Clemente XI. ac inſuper innovato a Bened. XIV. in epiſtola encycliea ad univerſos Epiſcopos incipien. - *Et ſi 7. Febr.* 1742. §. 11. ſtatuentibus, non eſſe deveniendum ad dictam denunciationem, niſi antea ſponſi reperti fuerint a Parocho in chriſtianæ religionis rudimentis inſtructi.

Eadem Seſs. cap. 2.

LIV. Decretum ſtatuens cognationem ſpiritualem contrahi tantum inter ſuſcipientem de baptiſmo, & baptizatum, illiuſque patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, hujuſque patrem, & matrem, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Sanctiſſimus* 20. *Aug. Et cum illius* 28. *Novemb.* 1566. nullum ſcilicet oriri cognationis impedimentum inter quaſcumque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis, & baptizati in dicto Concilio nominatim non expreſſas; ac proinde non oriri inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, nec inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & patrem, ac matrem baptizati, ut aliquando dubitatum fuerat.

Nota ex pluribus decretis Cong. Concil. relatis a Ferraris verb. *Baptiſmus art. 7. nu. 17.* levantem de fonte infantem procuratorio nomine nullam contrahere cognationem, cum non ſit deſignatus, nec habeat intentionem levandi ſuo nomine.

Eadem Seſs. cap. 3.

LV. Decretum ſtatuens nullum oriri impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia non ſunt ex quacumque ratione valida; & ubi valida ſunt, non excedere primum gradum, declaratum eſt ab eodem Conſtit. *Ad Romanum* 1. *Jul.* 1568. hoc decretum eſſe omnino intelligendum, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio per verba de præſenti, etiam non conſumato; ſed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, in quibus de jure veteri ante idem Concilii decretum introductum erat.

Eadem Seſs. cap. 4.

LVI. Decretum reſtringens impedimentum affinitatis ortum ex fornicatione ad primum, & ſecundum tantum gradum, ac ſtatuens matrimonium contractum in ulterioribus gradibus non dirimi, confirmatum eſt ab eodem Pontifice cit. Conſtit. *Sanctiſſimus*, qui ulterius Conſtit. *Ad Romanum Pontificem* 28. *Novemb.* 1566. declaravit idem intelligendum eſſe de matrimonio contrahendo.

Nota, quod per hoc Tridentini decretum moderata eſt decretalis Concilii Uvermarienſis celebrati tempore Pipini apud Vvermeriam in Pago Silvanectenſi relata *in cap. Si quis 1. De eo qui cognovit, &c.* ſtatuentis inter alia committentem inceſtum cum conſanguinea ſuæ Uxoris, vel mariti ipſo facto privari jure petendi debitum conjugale, non explicando gradum conſanguinitatis, cum ex cit. Trid. decreto non privetur, niſi